

II.

*Quæstionum illustrium eno-
datio.*

I.

*Queritur, an Petrus factò illo, quòd publice
Paulus castigavit, revera peccaverit, &
quale peccatum illud Petri fuerit?*

S. I.

DE factò Petri tres invenio sententias dissidentes, quarum *Pri-
ma* est, *Petrum in factò illo, quòd hic narratur, plane non pec-
casse.* Hæc fuit sententia Græcorum fere omnium, qui in hunc
textum scripserunt, utpote *Origenis* in Comm. Epistolæ ad Gal. &
alibi, *Theodori Heraclia* Thraciarum Episcopi in Com. Epist. ad
Gal. *Eusebii Emiffeni*, *Didymi Alexandrini*, *Apollinarii* Laodiceni
Episcopi in Commentariis hujus Epistolæ, *Chrysofomi* ibid. &
libr. I. de Sacerdotio, *Theodoretii* Cyri Episcopi, *Theophylacti* Bul-
gariæ Archi-Episc. Enarrat. in eandem Epist. *Oecumenii* in Col-
lectaneis explanationum Epist. ad Gal. Sed Græcorum Pauli In-
terpretum, quos *Hieronimus* in Epistolis de hac re contra *Augu-
stinum*, pro se allegat, videl. *Origenis*, *Theodori Heracleotis*, *Eu-
sebii Emiffeni*, *Didymi Alexandrini* & *Apollinarii* commentaria,
injuria temporum interiire, posteriorum vero, scil. *Chrysofomi*,
Theodoretii, *Theophylacti* & *Oecumenii* adhuc supersunt. Ex
Latinis hanc sententiam acriter defendit *Hieronimus*, tum in lo-
ci hujus præfatione & Commentario, tum in Epistolis hac de re
ad *Augustinum* scriptis, quem sequitur *Joh. Cassianus* in Colle-
ctionibus Patrum lib. XVII. *Secunda* sententia est priori plane
contraria, scil. *Petrum hic errorem in fide commisisse*, quòd affir-
mant articuli *Parisienses*, referente *Erasmio* in Annotationibus.
Tertia inter has duas media incedit via, videl. *Petrum errasse
quidem, non tamen in fide aut doctrina, sed in factò speciali, per*

C

in